



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Davidis Regii Prophetæ Psalterium**

**Moritz <Hessen, Landgraf>**

**Smalcaldiae, 1593**

**VD16 B 3258**

Psalmvs XXIII. Domini est Terra, &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Namq; potens Domini presentis virga tuetur  
Me, rabidosq; lupos submouet ille pedo.  
Instruis omniparam mihi mensam, & fercula lau  
Hostis ut euadat tristior inde meus. (ta,  
Balsameo caput exhilarans mihi rore perungis,  
Apponis dulci pocla referta mero.  
Ergo benigna salus nullo mihi tempore deërit,  
Namq; locum in templo semper habebo tuo.*

PSALMVS XXIIII.

Domini est Terra, &c.

**E**T terra globus hic Domini est, et maxime orbis,  
Quicquid habet mare, quodq; suo complectitur alueo,  
Quadrupes homines, volucres, piscesq; mari-  
Cuncta regitq; suo diuina potentia, nutu. (nos,  
Quicquid habet cælum, tellus, mare, mundo, id omne  
Subiacet imperio Domini, maris alta profundi  
Fundamenta locans, totum ille coercuit aquor  
Alueo, ne terram rapidis male perderet undis.  
Quis cedo præcelsi conscendet mœnia montis?  
Quis Domini felix sacrata stabit in arce?  
Qui sceleris purus degit sine crimine vitam,  
Et dextram insontem cum pectore iungit aperto,  
Candis



Candidus atq; colit sincero corde Iohannam,  
Respuit & falsas leges, nec peierat unquam,  
Ille bonis Domini, & tranquilla pace fruatur,  
Et benedictus erit, capiet quoq; commoda vite  
Plurima, multiplici vir prosperitate beatus.  
Hec est progenies querens mandata tonantis.  
Hi sunt Isacida, qui gaudent lege salutis.  
Vos igitur Reges nunc vestras pandite portas,  
Pandite totius vos Reges ostia mundi,  
Intranti ut pateant, cui gloria maxima Regi.  
Quis Rex iste, suo ingreditur qui tantus honore?  
Est Dominus fortis bellator, maximus, omnes  
Qui sibi subiiciet dextra hostes armipotente.  
Non est in terris, nec erit Rex fortior illo.  
Vos igitur reges nunc omnes pandite valvas,  
Pandite quisq; fores, pateant huic limina vestra  
Intranti Domino, laudis cui gloria summa,  
Magnus ut hic magno Rex excipiatur honore,  
Hostibus aeternum domitis ducatq; triumphum.  
Quis tamen iste Deus? quis rex hoc dignus honore?  
Armipotens laudum Dominus, cui gloria soli  
Debetur, quia nostra salus, victoria, vita est.

PSAL.